

†
JHS

BOLETIN OFICIAL

DEL

OBISPADO DE MENORCA

EPOCA IV

1 AGOSTO 1964 (DEP. LEGAL - M. H. - 148-1958)

N.º 8

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. N. M. 47 a/964

MINORICEN.



Instante Exc.mo ac Rev.mo Domino BARTHOLOMAEO PASCUAL MARROIG, Minoricensis Dioecesis Episcopo, preces sui universi Cleri suorumque Fidelium vota expromente, SACRA RITUUM CONGREGATIO, vigore peculiarium facultatum, a Sanctissimo Domino Nostro PAULO Divina Providentia PAPA VI. sibi tributarum, Sanctum STEPHANUM Protomartyrem Secundarium ipsius cunctae MINORICENSIS Dioeceseos apud Deum caelestem PATRONUM confirmavit seu constituit ac declaravit: omnibus cum iuribus atque liturgicis privilegiis, iuxta Rubricas ac Decreta locorum Patronis rite competentibus.

Quibuslibet contrariis nihil obstantibus.

Die 7 Martii 1964.

† ANT. M.^a Card. LARRAONA, S. R. C. Praef.

(L † S)

† HENRICUS DANTE, Archiep. Carpasien.
S. R. C. a Secretis.

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Prot. N. M. 44/963

MINORICEN.

Ad humiles enixasque preces Exc.mi ac Rev.mi Domini BARTHOLOMAEI PASCUAL MARROIG, Minoricensis Episcopi, SACRA RITUUM CONGREGATIO, utendo facultatibus, a Sanctissimo Domino Nostro PAULO Divina Providentia PAPA VI. sibi tributis, attentis expositis, in supplici libello adiunctis, benigne indulset, ut in cuncta Minoricensi Dioecesi, quotannis, die 17 Ianuarii, recoli valeat Festum Sancti Antonii Abbatis, Principalis eiusdem Minoricensis Dioecesis PATRONI, sub gradu Primae Classis, cum Officio et Missa Propriis, uti in adiectis prostant exemplaribus.

Servatis de cetero omnibus rite servandis.

Quibuslibet contrariis nihil obstantibus.

Die 7 Martii 1964.

† HENRICUS DANTE, Archiep. Carpasien.

S. R. C. a Secretis

(L † S)

JOACHIM SORMANTI, Subst.

Die 17 Ianuarii

SANCTI ANTONII ABBATIS

Patroni principalis Dioecesis Minoricensis

I Classis

AD I VESPERAS

Ant. 1. Bonum Aegypto medicum Christus dederat: quis non tristitiam apud Antonium mutavit in gaudium? Iram quis non vertit in pacem?

Psalmi de dominica, sed loco ultimi dicitur Ps. 116 Laudate Dominum omnes gentes.

2. Semper hilarem faciem gerens, nec secundis extollebatur, nec frangebatur adversis.

3. Clamabat quaedam mulier ad beatum Antonium: Exspecta, homo Dei, exspecta, quia filia mea vexatur a daemonio.

4. Benedictus Deus, qui servo suo tantam contulit gratiam, ut et sanitates restitueret et spiritibus immundis imperaret.

5. Aequabilitatem propositi iugiter tenens Antonius, nec delicias quaesivit, nec escam sectatus est molliorem.

Capitulum

Eccli. 2, 1-2.

Fili, accedens ad servitum Dei, sta in iustitia et timore, et praepara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum et sustine: inclina aurem tuam et suscipe verba intellectus: et ne festines in tempore obductionis.

Hymnus

Iste Confessor Domini, colentes
Quem pie laudant populi per orbem,
Hac die laetus meruit supremos
Laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,

Sóbriam duxit sine labe vitam,
 Donec humanos animávit aurae
 Spíritus artus.

Cuius ob praestans méritum frequénter,
 AEgra quae passim iacuére membra
 Víribus morbi dómitis, salúti
 Restituúntur.

Noster hinc illi chorus obsequéntem
 Cóncinit laudem, celebrésque palmas,
 Ut piis eius précibus iuvémur
 Omne per aevum.

Sit salus illi, decus atque virtus,
 Qui, super caeli sólio corúscans,
 Tótius mundi sériem gubérnat
 Trinus et unus. Amen.

Ÿ. Ora pro nobis, beáte Antóni.

R). Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Ad Magnif. Ant. O quam praeclárum est beáti Antónii no-
 men! Cuius sermo, sale conditus, consolabátur maéstos, docé-
 bat inscios, concordábat irátos, ómnibus suádens nihil amóri
 Christi antepónendum.

O r a t i o

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Antónium, váriis
 tentationibus probátum, inter mundi huius túrbines illaésam
 transire fecisti: concéde nobis fámulis tuis, ut et praecláro ipsius
 in sancta professione proficiámus exémplo, et a praeséntis vitae
 perículis, eius méritis et intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

Completorium de dominica.

Qui pius, prudens, iustus, pudicus,
 laus honoris,

AD MATUTINUM

Invitatorium. Laudémus Deum nostrum: * In solemnitate beáti Antónii Abbátis.

Hymnus Iste Conféssor, de *Communi Confessorum.*

IN I NOCTURNO

Ant. 1. Paréntibus religiósus et nobilibus gloriósus Antónius apud AEgyptum oriúndus fuit.

Psalmi trium Nocturnorum de Communi Confessorum.

Ant. 2. Beátus Antónius, Evangélii non ímmemor, patérna praédia distráxit et prétia dedit paupéribus.

Ant. 3. Ab ómnibus saéculi vínculis liberátus, ásperum nimis et árduum arripuit institútum.

Ÿ. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

R). Stolum glóriae índuit eum.

De libro Ecclesiástici.

Lectio I

Cap. 2, 1-3

Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in iustítia et timóre, et praépara ánimam tuam ad tentatióem. Déprime cor tuum, et sústine: inclína aurem tuam, et súscipe verba intelléctus, et ne festínes in témpore obductiúnis. Sústine sustentatióes Dei: coniúngere Deo, et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua.

R). Beáti Antónii laudes et solémnia célebret Ecclésia. * Qui caeléstem ducens vitam in terris, Ángelum, non hóminem móribus prae se ferébat. Ÿ. A saéculi vínculis liberátus, iter árduum coepit eúndi ad caelum. Qui caeléstem.

Lectio II

Cap. 2, 4-6

Omne quod tibi applicitum fúerit, áccipe, et in dolóre sústine; et in humilitáte tua paciéntiam habe: quóniam in igne probátur aurum et argéntum, hómines vero receptíbles in camíno humi-

liationis. Crede Deo, et recuperabit te; et dirige viam tuam, espera in illum: serva timorem illius, et in illo veterasce.

R). Ibat beatus Antonius monachorum per cellas, vitas patrum et virtutes singulorum diligenter attendens. * Et sicut sedula apes, quae variis gustatis floribus mel eructat, magnum undique suscepit fructum salutis. y. Continentiam huius, humilitatem istius, patientiam illius sectabatur. Et sicut.

Lectio III

Cap. 2, 7-12

Metuentes Dominum, sustinete misericordiam eius: et non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, sperate in illum: et in oblectationem veniet vobis misericordiam. Qui timetis Dominum, diligite illum: et illuminabuntur corda vestra. Respicite, filii, nationes hominum: et scitote quoniam nullus speravit in Domino, et confusus est. Quis enim permansit in mandatis eius, et derelictus est? aut quis invocavit eum, et despexit illum?

R). Flagellatus a daemonibus et pene confossus Antonius Dei praesentiam et misericordiam intellexit in lumine; et suspiciens in aelum clamabat: * Ubi eras, Iesu bone, ubi eras? y. Quare non adfuisti a principio, ut sanares vulnera mea? Ubi eras. Gloria Patri. Ubi eras.

IN II NOCTURNO

Ant. 4. Sanctus Antonius, habitans in abditis, inter primos eremi cultores inventus est in Aegypto.

Ant. 5. Ne quem suorum gravaret, sed egenos sustentaret, laborabat operando manibus suis, quod bonum est.

Ant. 6. Dum signis et virtutibus floreret Antonius, veternis eum fraudibus aggressus est christiani nominis inimicus

y. Os iusti meditabitur sapientiam.

R). Et lingua eius loquetur iudicium.

Lectio IV

Antonius, Aegyptius, nobilibus et christianis parentibus natus, quibus adolescens orbatus est, cum ingressus ecclesiam ex

Evangelio audivisset: Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes et da pauperibus, tamquam ea sibi dicta essent, sic Christo Domino obtemperandum existimavit. Itaque, vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit. Quibus solutus impedimentis, caelestis vitae genus in terris colere instituit. Sed cum in periculosum illud certamen descenderet, ad fidei praesidium, quo erat armatus, adhibendum sibi putavit subsidium reliquarum virtutum: quarum tanto studio incensus fuit ut quemcumque videret aliqua virtutis laude excellentem, illud imitari studeret.

R). Pernotans Dei famulus saepissime in oratione, edebat semel in die post solis occasum. * Nonnunquam biduo, triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur. y. Sumebat vero panem et sal, potumque aquae perparum. Nonnunquam.

Lectio V

Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, mansuetudine, misericordia, humilitate, labore ac studio divinarum Scripturarum superabat omnes. Ab haereticorum et schismaticorum hominum, maxime arianorum, congressu et colloquio sic abhorrebat, ut ne prope quidem ad eos accedendum diceret. Humi iacebat, cum eum necessarius somnus occupasset. Ieiunium autem adeo coluit ut salem tantummodo ad panem adhiberet, sitim aqua exstingueret: neque se ante solis occasum cibo aut potu recreabat, saepe etiam biduum cibo abstinerebat, saepissime in oratione pernoctabat. Cum talis tantusque Dei miles evasisset Antonius, sanctissimum iuvenem hostis humani generis variis tentationibus aggreditur: quas ille ieiunio et oratione vincebat. Nec vero frequens de satana triumphus securum reddebat Antonium, qui diaboli innumerabiles artes nocendi noverat.

R). Sermo eius, sale conditus, consolabatur maestos, docebat inscios, concordabat iratos. * Omnibus suadens nihil amori Christi anteponendum. y. Plurimos ab immundis spiritibus et infirmitatibus variis Dei gratia liberavit. Omnibus suadens.

Lectio VI

Itaque se cōtulit in vastíssimam Aegypti solitúdinem: ubi quotidie ad christiánam perfectiónem proficiens, daémones (quórum tanto erant acriores impetus quanto Antónius ad resisténdum fórtior evadébat) ita contémpsit ut illis exprobráret imbecillitátem; ac saepe discipulos suos éxcitans ad pugnándum contra diábolum, docénsque quibus armis vincerétur: Mihi crédite, dicebat, fratres, pertiméscit sátanás piórum vigílias, oratiónes, ieiúnia, voluntáriam paupertátem, misericórdiam et humilitátem, máxime vero ardéntem amórem in Christum Dóminum, cuius único sanctíssimae crucis signo debilitátus áufugit. Sic autem daemónibus erat formidolósus ut multi per Aegyptum ab illis agitáti, invocáto nómine Antónii, liberaréntur; tántaque erat ius fama sanctitátis ut per líttas se eius oratióibus Constantínus Magnus et filii commendárent. Qui aliquándo quintum et centésimum annum agens, cum innumerábiles sui institúti imitatóres habéret, convocátiis mónachis et ad perféctam christiánae vitae régulam instrúctis, sanctitáte et miráculis clarus migrávit in caelum, décimo sexto Kaléndas Februárii.

R). Cum ad tugúrium beáti Pauli primi Eremítae sanctus Antónius, lupam sequens, divertísset: * Corvus, nutu Dei, panem íntulit íntegrum, quem per annos sexagínta attúlerat dimidiátum. y. Eia, inquit Paulus, sumámus cibum, quia militibus suis Christus duplicávit annónam. Corvus. Glória Patri. Corvus.

IN III NOCTURNO

Ant. 7. Iucúndus et affábilis, iuxta praecéptum Apóstoli, sermónem divíno sale condítum proferébat.

Ant. 8. Orábat Dei fámulus inter multifárias daémonum tentatiónes, dicens: Nemo me separábit a caritáte Christi.

Ant. 9. Vox de caelo ad Antónium facta est: Quóniam viríliter dimicásti, ecce ego tecum sum, et faciam te in toto orbe nominári.

y. Lex Dei eius in corde ipsius.

R). Et non supplantabúntur gressus eius.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII

Cap. 19, 21 et 27-29.

In illo tempore: Ait Iesus adolescenti: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo: et veni, sequere me. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrysostomi. *Hom. 63 et 64 (al. 64 et 65) in Matth. n. 1-4.*

Antequam Christus adolescenti certamen et laborem diceret, bravium ostendit, dicens: Si vis perfectus esse; et tunc adicit: Vende omnia quae habes, et da pauperibus; statimque praemia dicit: Habebisque thesaurum in caelo, et veni, sequere me. Nam vel sequi illum, magna merces est. Et habebis thesaurum in caelis. Quia enim de pecuniis sermo erat, illumque hortabatur ut se omnibus exspoliaret, ostendens non sua sibi auferri, sed augeri, etiam plura illi dat quam ipse praebere iuberetur; neque plura modo, sed tanto maiora quanto maius caelum quam terra est, immo quid ulterius. Thesaurum autem appellat, praemii praesentiam, stabilitatem securitatemque eius declarans, quantum per humana subindicare poterat audienti. Non ergo satis est pecuniam contemnere, sed oportet pauperes alere, et ante omnia Christum sequi, id est, omnia iussa eius complere, esse quotidie paratum ad caedes et ad mortem quotidianam. Ait enim: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

R). Factum est dum Paulus spiritum Domino reddidisset, beatus Antonius festinus rediens vidit eum inter choros Angelorum candore niveo fulgentem in sublime ferri: * Et plorans et eiulans dicebat: Cur me, Paule, dimittis? y. Cur abis insalutatus, tam tarde notus, tam cito recedis? Et plorans.

Lectio VIII

Animadvertite autem quomodo accurate respondeat Petrus ad ea quae Christus quaerebat: nam ille a divite duo haec expetebat, ut sua daret pauperibus, et sequeretur se. Ideoque Petrus

haec duo 'ponit,' et 'quod reliquerint, et quod sequántur; 'nam ait Ecce nos reliquimus ómnia, et secúti sumus te. Nam relinquunt ut sequántur, faciliúsque erat sequi postquam reliquerant; et quia reliquerant, fidúciam ipsius et gáudium conciliávit.

R). Beatissimus senex, a divína providéntia de sua morte condíscens, últimam, ait, filioli, patris audíte senténtiam. * Cogit conditio natúrae, ut post centenárium númerum, quem annis quinque supergrédior, iam resólvar. ✠. Ego quidem, secundum elóquia Scripturárum, patrum grádior viam, iam enim Dóminus me invitat. Cogit. Glória Patri. Cogit.

Lectio IX

Audi ea quae sequúntur. Petro namque interrogánte: Quid ergo erit nobis? mercédem illis státuens, subiúnxit: Et quicúmque reliquerit domum, vel agros, vel fratres, vel soróres, vel patrem, vel matrem, céntuplum accípiet in praesénti saéculo, et vitam aetérnam possidébit. Haec itaque cogitánte, aemulémur ea quae digna sunt aemulatióne: non magnífica aedificia, non ubérrima praédia; sed viros qui magnam apud Deum fidúciam habent, qui in caelo dívites sunt, qui thesáuros illos póssident, ac vere opulénti sunt, qui propter Christum sunt páuperes; ut aetérna bona consequámur, grátia et benignitáte Dómini nostri Iesu Christi, qui cum Patre una cum Spíritu Sancto glória, honor, impérium, adorátio, nunc et semper et in saécula saeculórum. Amen.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Ant. 1. Bonum AÉgypto médicum Christus déderat: quis non tristítiam apud Antónium mutávit in gáudium? Iram quis non vertit in pacem?

Pss. de dominica, 1.º loco.

Ant. 2. Semper hilarem fáciem gerens, nec secúndis extollebátur, nec frangebátur advérsis.

Ant. 3. Clamábat quaedam múlier ad beátum Antónium: Exs-

pècta, homo Dei, exspècta, quia filia mea vexàtur a daemónio.

Ant. 4. Benedíctus Deus, qui servo suo tantam cóntulit grátiam, ut et sanitátes restitúeret et spiritibus immúndis imperáret.

Ant. 5. AEquabilitátem propósi iúgiter tenens Antónius, nec delicias quaesívit, nec escam sectátus est molliórem.

Capitulum

Eccli. 2, 1-2.

Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in iustítia et timóre, et praépara ánimam tuam ad tentatióem. Déprime cor tuum et sústine: inclína aurem tuam et súscipe verba intelléctus: et ne festínes in témpore obductiúnis.

Hymnus

Jesu, coróna celsior
Et véritas sublímior,
Qui confiténti sérvulo
Reddis perénne praémium:

Da supplicánti coétui,
Huius rogátu, nóxii
Remissióem críminis,
Rumpéndo nexum vínculi.

Anni revérso témpore,
Dies refúlsit lúmíne,
Quo Sanctus hic de córpore
Migrávit inter sídera.

Hic, vana terrae gáudia
Et luculénta praédia
Pollúta sorde députans,
Ovans tenet caeléstia.

Te, Christe, Rex piíssime,
Hic confiténdó iúgiter,
Calcávit artes daémonum
Saevúmque avérni principem.

Virtúte clarus et fide,
Confessióne sédulus,

Ieiuna membra déferens,
Dapes supérnas óbtinet.

Proinde te, piíssime,
Precámur omnes súpplices,
Nobis ut huius grátia
Poenas remittas débitas.

Patri perénis glória,
Natóque Patris único,
Sanctóque sit Paráclito,
Per omne semper saéculum. Amen.

Ÿ. Ora pro nobis, beáte Antóni.

R). Ut digni efficiámur promissionibus Christi.

Ant. ad Benedictus. Gloriósus Antónius, cum non mediócre incómmodum senília membra turbásset, Ego, inquit, filioli, patrum grádior viam, iam Dóminus me invitát, iam cúpio vidére caeléstia.

O r a t i o

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Antónium, váriis tentationibus probátum, inter mundi huius túrbines illaésum transire fecisti: concéde nobis fámulis tuis; ut et praecláro ipsius in sancta professione proficiámus exémplo, et a praeséntis vitae periculis, eius méritis et intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

Ad Horas antiphonae de Laudibus et psalmi de dominica, ad Primam autem ut in festis.

AD TERTIAM

Capitulum

Eccli. 2, 1-2.

Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in iustítia et timore, et praépara ánimam tuam ad tentationem. Déprime cor tuum et sústine: inclína aurem tuam et súscipe verba intelléctus, et ne festines in témpore obductionis.

R). *br.* Amávit eum Dóminus : Et ornávit eum. — Amávit.

Ÿ. Stolam glóriæ induit eum. Et ornávit.

Glória Patri. — Amávit.

- ŷ. Os iusti meditabitur sapiéntiam.
 R). Et língua eius loquétur iudícium.

AD SEXTAM

Capitulum

Eccli. 2, 3.

Sústine sustentatiónes Dei: coniungere Deo et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua.

- R). *br.* Os iusti: Meditabitur sapiéntiam.—Os iusti.
 ŷ. Et língua eius loquétur iudícium.—Meditabitur.
 Glória Patri.—Os iusti.

- ŷ. Lex Dei eius in corde ipsius.
 R). Et non supplantabúntur gressus eius.

AD NONAM

Capitulum

Eccli. 2, 4-5

Omne quod tibi applicitum fúerit áccipe, et in dolóre sústine, et in humilitáte tua paciéntiam habe; quóniam in igne probátur aurum et argéntum, hómínes vero receptíbles in camíno humiliatiónis.

- R). *br.* Lex Dei eius: In corde ipsius.—Lex.
 ŷ. Et non supplantabúntur gressus eius.—In corde.
 Glória Patri.—Lex.

- ŷ. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas.
 R). Et osténdit illi regnum Dei.

AD II VESPERAS

Omnia ut in I Vesperis, praeter sequentia.

Ant. ad Magnif. Hódie beátus Antónius, hílari vultu sanctos Ángelos íntuens, tamquam si amícos vidéret, migrávit in caelum, allelúia: quem chorus exsúltat noster habére ducem, allelúia, allelúia.

Completorium de dominica.

MISSA PROPRIA S. ANTONII ABBATIS

Patroni principalis Dioecesis Minoricensis

Antiphona ad Introitum

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Antónii, de cuius solemnitáte gaudent Ángeli et colláudant Fílium Dei. *Ps. 36, 1.* Noli aemulári in malignántibus; neque zeláveris faciéntes iniquitátem.—Glória Patri.—Gaudeámus.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Antónium, váriis tentatióibus probátum, inter mundi huius túrbines illaésum transire fecisti: concéde nobis fámulis tuis; ut et praecláro ipsius in sancta professióne proficiámus exémplo, et a praeséntis vitae perículis eius méritis et intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiae.

Eccli. 2, 1-5.

Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in iustitia et timóre, et praépara ánimam tuam ad tentatióem. Déprime cor tuum, et sústine; inclína aurem tuam, et súscipe verba intelléctus, et ne festínes in témpore obductiόνis. Sústine sustentatiónes Dei: coniúngere Deo, et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fúerit áccipe, et in dolóre sústine, et in humilitáte tua paciéntiam habe; quóniam in igne probátur aurum et argéntum, hómínes vero receptíbiles in camíno humiliatiónis.

Graduale

Ps. 4, 4 et 9

Scitóte quóniam magnificávit Dóminus sanctum suum. *ŷ.* Dóminus exaudívit eum, et custodívit eum in pace.

Allelúia, allelúia. *ŷ.* Vox de caelo ad Antónium facta est: Quóniam viriliter dimicásti, ecce ego tecum sum, et fáciam te in toto orbe nominári. Allelúia.

In missis votivis post Septuagesimam, ommissis Alleluia et versu sequenti, dicitur:

Tractus (Ps. 5, 12-13). Laetentur omnes qui sperant in te, Dómine; in aeternum exsultabunt et habitabis in eis. *ŷ.* Et gloriantur in te omnes qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto. *ŷ.* Dómine, ut scuto bonae voluntatis tuae, coronasti nos.

Tempore autem paschali omittitur graduale, et eius loco dicitur:

Allelúia, allelúia. *ŷ.* Vox de caelo ad Antónium facta est: Quoniam viriliter dimicasti, ecce ego tecum sum, et faciam te in toto orbe nominari. Allelúia. *ŷ.* Opem nobis, Antóni, porrige: rege stantes, iacentes érige: mores, actus et vitam corrige, et in viam pacis nos dirige. Allelúia.

† *Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum.*

Matth. 19, 21 et 27-29.

In illo tēpore: Ait Iesus adolescēti: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da paupéribus, et habébis thesaurum in caelo, et veni, séquere me. Tunc respóndens Petrus, dixit ei: Ecce nos relíquimus ómnia et secúri sumus te: quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suae, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israél. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet et vitam aetérnam possidébit.

Credo.

Antiphona ad Offertorium

Ps. 20, 3 et 4.

Desidérium ánimae eius tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretiósó. (*T. P.* Allelúia).

Secreta

Sacrificium nostrum, quaesumus, Domine, benignus intende: quo, beati Antonii precibus, ab aeternis cruciatibus erui misericorditer impetremus. Per Dominum.

Antiphona ad Communionem *Matth. 24, 46-47.*

Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. (T. P. Alleluia).

Postcommunio

Prosit nobis ad salutem, quaesumus Domine, sacri muneris oblatio; per quam beati Antonii Abbatis fulti suffragio, omnia tela nequissimi ignea extinguere, et sanctorum adiungi consortio mereamur. Per Dominum.

PRO MISSIS VOTIVIS

Antiphona ad Introitum *Ps. 23, 5-6.*

Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo. Haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Iacob. *Ps. ibid., 1.* Domini est terra et plenitudo eius: orbis terrarum, et universi qui habitant in eo. Gloria Patri. Hic accipiet.

Oratio

Intercessio nos, quaesumus, Domine, beati Antonii Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, eius patrocinio assequamur. Per Dominum.

Reliqua dicuntur ut in praecedenti missa de festo.

Concordat cum originali

IMPRIMATUR

Civitellae Minoricarum, 1 Augusti 1964.

† BARTHOLOMAEUS, Episcopus Minoricensis.